



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Argvmentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11665**

# HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVS.

## ARGVMEN T V M.

**P**ROPOSITA ab Oratore Mendoza consilia de reponendo Tridenti Concilio, à Pontifice quidem accepta, non item à Cæsare. Eiusdem in Germania victoria. Decima Concilij Sessione, in qua Decretorum promulgatio in diem 15. Septembris dilata. Quæ fuerint agitata apud Cæsarem à Legato Cardinali Sfondrato. Aduentus Bononiensem Præsumum Oratorumque Gallorum. Cædes Petri Aloysij Farnesij, & Placentia à Cæsarianis occupata. Altera Sessionis ad incertum diem prorogatio. Litteræ ab Ecclesiasticis, qui aderant Augustanis Comitiis, ad Pontificem datae ad impetrandum Synodi redditum in Tridentinam urbem, & responsa ipsis reddita. Missus cum mandatis Cardinalis Madruccius à Cæsare ad Pontificem. Cerwinus Romam acceritus. Quæ cum Cæsare Sfondratus egerit de Placentia. Prior Mendoza in Senatu Vaticano contestatio, ac redditum illi responsio, deliberatione ad Synodum Bononiensem reiecta. Litteræ super ea re à Synodo ad Pontificem scriptæ, earumque summa significata ab ipso in responsis ad Mendozam. Habita à Fisci Cæsarei Procuratoribus contestatio in Bononiensi Concilio, & quid ipsis responsum. Iterata Mendoza contestatio in Purpuratorum Senatu; & altera Pontificis prolixa responsio, translationis causâ ad

HISTORIAE CONCILII TRIDENTINI Lib. IO. Cap. I. 99

ad se auocatā, & suspensō interim Concilij progressu. Pontificis diplomata ad Bononienses ac Tridentinos Patres, per quae utriusque iussi Procuratores ad causam dicendam legare. Illorum obsequium, horum excusatio. Suspicio de Cæsarianis, ceu Parmæ ac Bononiae insidiantibus. Cæsar postulata ut ad se mitterentur Legati, cum facultate componenda usque ad Concilium Religionis. Opposita Regis Gallia postulata. Libellus, inscriptus Interim, à Cæsare in Comitiis promulgatus; hereticis tamen, non Catholicis prescriptus.

C A P V T P R I M V M.

Quid Orator Mendoza egerit, ut Tridentum Synodus reduceretur.

Victoria Cæsaris in Germania. Turbae Neapolitanæ.

1. SWE CONSILIVM à Patribus cautè susceptum de protractionis Decretis, vulgarium hominum iudicio, quam ad vicina pericula animo deficientium, tam perspicacia carentium ad præuidenda remota, imbecillitas animi visum est; eiusque culpa Farnesio adscripta, qui ut Cæsaris benevolentiam sive aucuparetur, sive retineret, suis officiis generosam Pauli constantiam fregisset. Ea verò suspicio foveabatur singulari necessitudine, arcansque colloquis inter Farnesium & Mendozam: & tamen cœntu patuit, consilia in Cæsarem procliviiora, futura fuisse pariter opportuniora. Nec omittebat Mendoza Christianæ gentis incommoda præfigire, quibus grauida ea discordia tumesccebat, nouaque reconciliationis formas propone: quibus eti primò repugnaret Pontifex <sup>a</sup>, monueritque Oratorem, Petro non Cæsari à Christo dictum, *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, ac terga confessim verterit, tandem assensus est, atque hæc <sup>c</sup> Sfondrato adhuc fortasse iter habenti dedit mandata.

2. Fuisse ab Oratore propositum ex se quidem, sed cum spe non modica Cæsarei consensus, ut Episcopi, qui Tridenti substiterant, Bononiam pergerent: ibi dogmatum decisio suspenderetur, ut Synodus parata esset Tridentum repetere, idque geminâ conditio: ne, quam utramque & Pontifex exigebat, & Mendoza probabat. Altera erat, ut prius Cæsar Germanos adigeret ad præterita Tridentina Decreta suscipienda, & ad parendum futuris. Altera, ut simul

1547.

<sup>a</sup> Ex litteris  
amicis ad  
Cerunum  
Româ,  
27. April.  
1547.  
<sup>b</sup> Ex Diario,  
2 Maij.

<sup>c</sup> 30. Maij.  
Ex litterarum  
exemplar  
Sfondrati est  
penes aucto-  
rem.

N 2 consu-